26

Q. D. B. V.

THESES MEDICÆ
DE
GONORRHOEA VIRULENTA

AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM
ORDINIS
IN INCL. STUDIORUM UNIVERSITATE ARGENTORATENSI
PRO
DISPUTATIONE INAUGURALI
AD
CAPESSENDOS HONORES DOCTORALES
SOLENNI ET PUBLICO
ΦΙΛΙΑΤΡΩΝ
EXAMINI
D. 25. MENS. MART. A. C. cIↃ IↃc XCV.
H. L. Q. SOL.
SUBJECTÆ
A

JO. FRIDERICO STÆDEL
ARGENTORATENSI.

ARGENTORATI,
Literis STÆDELIANIS.

DEO
PATRIÆ
ET
AMICIS.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

Proœmium.

ANtequam ipſam hujus argumenti tractationem aggrediar, non abs re erit, ea prius declinare, quæ calumniandi & obtrectandi, nonnemini aliquam occaſionem præbere poſſent. Cum enim obſcœnum obſcœnarum partium morbum in præſens pro Diſputationis Inauguralis materia ſelegerim, plures fore, non dubito, qui, me turpitudinis culpa non vacare, cenſebunt. Verum, ſi rem paulo exactius conſideraverint, longè aliter æquos rerum æſtimatores judicaturos confido; præterquam enim, quod Natura præſide turpe nihil ſit, & omnis actio ex fine ſit judicanda, citra turpitudinem Medicina ſceleratis etiam fert opem. Et, cum Medico indignum non ſit, ægrum hoc morbo laborantem

curare, ejusque valetudinis habere rationem, exprobrari quoque nemini poterit, ſi, quæ circa naturam & curationem Venerei hujus mali occurrant, attentius conſiderentur, cum ipſa cognitio mali curationem dogmaticam neceſſario præcedere debeat. Cum enim virulentus hic morbus non tantum partes, quæ ad ſpeciei propagationem à natura ſunt creatæ, afficiat, ſed etiam, inprimis neglectus venenum ſuum in omne corpus diffundat, atque ita plurimis graviſſima ſymptomata, miſeram & ærumnoſam vitam, imò quibusdam acerbum interitum contrahat, unde etiam non immeritò à quibusdam miſerabile ſcortatorum flagellum nominatur; inſuper ruente ſemper in pejus ſeculo, plures hodierno tempore fœda hac lue inficiantur, operæ pretium eſſe judicavi, ejus naturam & curationem accuratius inveſtigare. Quamvis enim, ut Celſi Lib. 6. cap. 18. verbis utar, difficilis hæc explanatio ſit ſimul & pudorem & artis præcepta ſervantibus, tamen ea res à ſcribendo deterrere

rere me non debuit, quando obſcœne intelligere ea, quæ dicuntur honeſte, non ſcribentium, ſed legentium vitium eſt. Cæteroqui Benevolus Lector rogatus eſto, ut ſcriptionis tenuitati veniam dare, haud gravetur, quando ob anguſtiam temporis hunc affectum non tam elaboratum, quam ſolum delineatum in medium proferre licuit.

Ονοματολογία.

VT autem ſecundum receptam hactenus conſuetudinem incedamus, ab ipſa nominis tractatione initium faciemus; dicitur autem hic morbus Latinis Gonorrhœa Virulenta, Gallicè Chaudepiſſe, Italicè Scolatione.

Ipſum vocabulum Gonorrhœa eſt origine Græcum, ſed latina civitate donatum, atque γονόῤῥοια nomen accepit juxta *Gal. Lib. 6. de locis affectis cap. 6.* ἀπὸ τῆς γονῆς, à genitura, fœtura ſeu ſemine genitali, & à verbo ῥέω fluo, eò quod affectu hoc laborantes ſeminis profluvium pati ſoleant. Unde etiam ab hoc vocabulo nomen γονόῤῥοιος vel γονοῤῥύης ſeminis talem fluxum ſuſtinens, & verbum γονοῤῥυέω ſeminis fluxum patior, derivantur. Gallis Chaudepiſſe nominatur, à frequentiſſime adjuncto ſymptomate, urinæ nempe ardore, cum inter mejendum dolor urens, & acerbus per Urethræ longitudinem excitetur, ſimulque urinæ ſæpe guttatim cum ſummo ardoris ſenſu exſtillent.

Gonorrhœa aliâs in genere ita dicta denominationes varias apud Latinos accepit, dicitur enim *Celſo Lib.* 4. *cap.* 21. nimia ſeminis profuſio, *Alexandro Benedicto Lib.* 24. *de morb. cap.* 6 *&* 8: genituræ profluvium involuntarium. *Petro Bayro Lib.* 16. *pract. cap.* 2. involuntarius ſeminis exitus, aliis aliter, in id tamen conſentientibus omnibus, quod ſemen, vel aliquid ſemini analogum præter voluntatem excernatur.

Hic autem non quamvis Gonorrhœæ ſpeciem intellectam volumus, ſed eam tantum, quæ addito nomine virulenta appellari conſuevit, quæque ab impura converſatione cum infecta muliere ſordidam originem traxit. Variæ enim dantur Gonorrhœæ ſpecies. Et quidem prima ſpecies contingit, quando in corpore bene aliàs conſtituto, & ſano ob ſeminis laudabilis copiam & abundantiam, adde & rei Venereæ intermiſſionem, accedente quandoque ſeminis acrimonia, effluxus genituræ cum membri diſtenſione, & aliquali voluptatis ſenſu contingit. Cui tamen rei vel colloquia laſciva, vel intenta rei Venereæ cogitatio originem præbet, vel etiam in ſomno contingit, quando dorſo incumbentibus calore lecti partes incaleſcunt, ſemen orgaſmum concipit, unde accedentibus inſomniis libidinis, umbram rei pro reipſa repræſentantibus, falſoque phantaſmate animo deluſo, partes, quod continere non poſſunt, transmittunt. Qui quidem affectus aliâs Pollutio nocturna appellari conſuevit.

Altera ſpecies Gonorrhœæ eſt, quæ ſine pudendi tentigine, ſine voluptate fieri ſolet, quando à nimio Veneris uſu partes relaxatæ, fibræ earum flaccidæ & molles ſemen retinere non poſſunt, ſed effluere ſinunt. Nam à nimio Veneris exercitio, exhauſtis & conſumptis ſpiritibus, nobiliore ſanguinis flore abſumpto, partibus refrigera-

geratis & delaſſatis, non niſi crudum & aquoſum excrementum generatur, mox iterum è partibus excernendum. Unde etiam ſine voluntate, & interdum cum doloris ſenſu tum de die, tum de nocte, vel etiam ad levem manus contactum emittitur.

Tertia ſpecies, licet impropriè dictæ Gonorrhœæ eſt, quando humores corrupti & phlegmatici, vel à toto, vel à parte aliqua ad genitales partes amandantur, qui poſtmodum unà cum ſemine effluunt, qui affectus fœminis frequentior, quam viris eſſe ſolet. Quod in Cacochymicis accidere interdum conſuevit, natura eò partem vitioſorum humorum amandante. Unde ſæpè diu liquamen tenue & aquoſum effluit, qui fluxus ſubinde diutius ſine intermiſſione citra inſignem noxam continuatur, hinc ferè fluori albo mulierum reſpondet. Vel etiam cum Atrophia & corporis conſumtione à colliquatione partium fit, quod in Tabe dorſali dicta, evenire ſolet.

Quarta, & de qua jam acturi ſumus ſpecies Gonorrhœæ eſt Gonorrhœa virulenta, alio nomine etiam maligna dicta, eò quod eſſentia & ſymptomatum gravitate reliquas Gonorrhœæ ſpecies longè ſuperare ſoleat. Nominatur etiam à nonnullis Gonorrhœa Gallica, qui luem Veneream, quæ hujus mali ſoboles eſt, luem Gallicam indigitant. Sed hic merito Franciſci Guicciardini ſententiam amplectimur, qui de lue Venerea inquit, hanc ignominiam, quod Gallicus morbus dicatur, à Gallico nomine removendam, cum ex Hiſpania Neapolim importatam fuiſſe conſtet, nec tamen ejus gentis fuiſſe propriam, ſed quoque ex illis inſulis allatam, quæ Chriſtophori Columbi navigationibus manifeſtatæ fuerunt. Appellatur etiam Gonorrhœa Venerea, eò quod non, niſi ab impuro concubitu contrahatur, & primus quaſi gradus ſit, per quem ad ipſam luem Veneream recto tramite deſcenditur.

Definitio.

E*St autem Gonorrhœa Virulenta excretio præternaturalis involuntaria & doloroſa, ſine penis diſtenſione, tum ſeminis corrupti & putridi, tum ſaniei, tum lymphæ ichoroſæ, cum urinæ ardore, variisque aliis ſymptomatibus ſtipata, à læſione partium ſpermaticarum & generationi inſervientium, interdum & exulceratione, à veneno Venereo, impuro concubitu contracto, tum in viris, tum in mulieribus inducta.*

Eſſentia ipſa hujus affectus conſiſtit *in excretione*, & hinc ad claſſem ſymptomatum excretorum & retentorum commodiſſimè referri poteſt.

Dicitur autem excretio *involuntaria & præternaturalis*, quo diſtinguatur ab excretione naturali. Ne quid de reliquis dicamus, quæ in definitione allata eam à cæteris Gonorrhoeæ ſpeciebus diſtingunt.

Materia excretionis pro diverſo læſionis modo & gradu eſt varia; ſi enim acrimonia illa Venerea in principio liquidas ſolum partes occupat, ſemen tantum, idque corruptum excernitur; poſt verò longius ſerpendo, cum vires & augmentum ſumit, viroſa ſua acredine, partes quoque continentes ſemen infeſtat, easque exulcerando & erodendo facit, ut fœdam ſaniem plorent; tandem univerſam maſſam ſanguineam velut inſidiosè inficiendo, cum ſerum & lympham vitiat, efficit, ut præter alia damna, corpori illata, lympha ichoroſa quoque eaque interdum inſigni quantitate, & per longum ſatis tempus effluat. Unde illud, quod excernitur, non tantum ſemen eſt, ſed interdum ſanies, interdum alii humores vitioſi & peculiariter corrupti, à tota maſſa ſanguinea & lympha infecta huc transmiſſi.

Urinæ ardor & ſtillicidium communiſſima ſunt hujus

hujus affectus adjuncta, varia tamen pro varietate gradus & ſubjecti, alia accedere ſolent ſymptomata; qualia ſunt e. g. inflammatio penis, & adjacentium partium, cum dolore & vigiliis concomitantibus, urethræ excoritatio, proſtatarum & veſicularum ſeminalium exulceratio, inflatio & tumor præputii, ut difficile, vel plane non poſſit glans tegi, Phimoſis dictus, ulcuſcula maligna in glande & præputio, verrucæ & excreſcentiæ Venereæ, Gallicè *Chancres* nominatæ, non niſi cauſticis extirpandæ; interdum etiam in ipſo urinario ductu poſt excoriationem caruncula enaſcitur, urinæ difficillimæ excretioni vel etiam plenariæ ejusdem obſtructioni occaſionem præbitura; frequenter etiam Bubones glandularum in inquinibus accedunt, Gallice *Poulain*, in teſtibus ſæpe inflammatio, & inſignis quandoque tumor cum atroci dolore ſupervenit, ipſa pars qua peccatum eſt, quandoque incurvatur; illaque tenſio ſummè eſt dolorifica, quæ propterea & ſumma cum ratione à nonnullis miſerrimum ſcortatorum flagellum appellatur. Convulſis enim partibus nervoſis, & ad ſuum principium retractis pars intumeſcens neceſſariò inflectitur, & incurvatur, unde illa ſpecies Gonorrhoeæ emergit, quam vulgò Chordatam, nominare ſolent. Quin & interdum gangræna immedicabilis inflammationi ſupervenit, ſummo cum vitæ periculo conjuncta, nec niſi reſectione partis ipſius affectæ curanda. Ut nunc in præſens reliquorum ſymptomatum catervam ſilentio prætereamus, quæ transmiſſo in ipſum corpus & maſſam ſanguineam altius malo, miſerrimè ægros tractare ſolent.

Pars affecta ſunt partes generationi inſervientes, & quidem illæ, quæ ſeminis elaborationi, aſſervationi, ejaculationi & receptioni inſerviunt, de quibus, cum de ſubjecto agemus, ſermonem inſtituemus.

Cauſa

Cauſa eſt acrimonia illa viroſa Venerea, & maligna, de qua ſub cauſarum enumeratione agemus.

Ex hujus mali deſcriptione ſatis liquet, quam viroſum, quam abominandum, & deteſtabile ſit hoc morbi genus, tum ratione originis, cùm illicitum & ſordidum congreſſum cum infectis agnoſcat, tum ratione ſubjecti, cùm partes pudendas, & quas natura ipſa tegi voluit, occupet; tum ratione ſymptomatū, & adjunctorum, cùm tam fœdè & miſerè in corpore ſuo pœnas luere cogantur: unde etiam ipſimet ægroti nemini interdum pudendū hoc malum revelare audent, cùm non tantùm famæ jacturam, ſed etiam converſationis honeſtiorum fugam exinde metuant. Et quidem non immeritò, ſi enim illi, qui, ut ſacrarum literarum teſtimonia nobis perhibent, pollutione nocturna correpti fuerunt, usque ad veſperam in Vet. Teſt. pro immundis habiti ſunt, & de ſacrificio edere prohibiti. Sicuti Levit. cap. 15. vers. 16. & cap. 22. vers. 5. expreſſum præceptum extat, quid de hoc ſordido morbo dicemus, annon tali modo infectos multo potiore jure pro immundis æſtimabimus.

Subjectum.

PEdem jam promovemus ad ſubjectum, cujus inquiſitio ad felicem curationem perficiendam omnino neceſſaria eſt, quantum enim locorum malè affectorum accurata cognitio ad morborum curationem conferat, jam olim Galenus demoſtravit, cum ſex libros de locis affectis conſcriberet.

Subjectum itaque recipiens, *ut quod*, affectum hunc principaliter & radicaliter in ſe ſuſtentans, eſt corpus humanum utriusvis ſexus. Siquidem tum mares, tum fœminæ in ea ætate conſtituti, in qua ad ſemen generandum

apti

apti ſunt, Gonorrhœa corripiuntur. Juniores enim quam, ut ſemen generare poſſint, pro ſubjecto haberi nequeunt, cum ſemen, quod nondum adeſt, etiam virulentiam nullam acquirere poſſit. Rarum itaque eſt, & ad monſtra referendum, quod *D. Manché Zodiac. Medic. Gallic. anno primo M. Jul. obſerv.* 2. refert, de puero ſeptem, aut octo annorum, qui fœda Gonorrhœa à coitu inquinatus, per bimeſtre inſignem viridantis puris copiam effudit; nam in hoc malitia ætatem prævertit. Sic & paulo abhinc obſervatum eſt, puellam octo vel novem annorum per aliquot dies inſignem puris copiam per genitalia excreviſſe, haud ſecus, ac ſi Gonorrhœa laborâſſet, uti ex obſervatione & relatione Fideliſſimi cujusdam mei Præceptoris habeo.

Pars affecta ſunt organa ſeminis generationi, aſſervationi, & receptioni, à natura dicata, quæ à viroſo veneno Venereo affecta fœdam ſaniem plorant. Nominatim in viris ſunt teſtes, veſiculæ ſeminales, proſtatæ ſeu corpus glandoſum, urethra, communis ſeminis & urinæ canaliculus, unde pus continuo prope ſtillicidio manat; in fœminis vero eſt vagina uterina, uterus ipſe, & partes ad uterum pertinentes.

Principale itaque ſubjectum, ſeu pars primario affecta eſt corpus glandoſum dictum, cum annexis veſiculis ſeminalibus, quod quidem tum ratio ſuadet, tum experientia per ἀυτοψίαν anatomicam firmata demonſtrat.

Veſalius enim teſtatur *de corp. human. fabric. Lib.* 5. *cap.* 13. Se in quodam involuntario ſeminis fluxu laborante, quem Patavii diſſecuit, corpus hoc glandoſum cum divideretur, non minus quam teſtes ipſos ſemine oppletum conſpexiſſe. Et *Thomas Bartholinus centur.* 2. *Hiſt.* 36. probat, materiam profluentem eſſe pus ulceris ex proſtatis, cum in omnibus Gonorrhœa laborantibus in no-

 ſodo-

ſodochio diſſectis ulcera invenerit, ſeu callum, ulceris præteriti ſignum. Sic & idem refert ibid. *Marc. Aurelium Severinum* Neapoli in diſſectis inveniſſe inflammationem & abceſſum in paraſtatis. Et *Virſungus* ulcus proſtatarum nominat, non tam ſemen, quam ſaniem & humores corruptos eructans: qui tria cadavera Gonorrhœa extinctorum ſecuit, in quorum proſtatis veſtigia ulcerum & cicatrices manifeſtas animadvertit. Et jam olim *Rondeletius Libro de dign. morb. cap.* 9. affectum vulgò Gallis urinæ ardorem dictum, paraſtatarum inflammationem à ſemine acri et putreſcente in paraſtatis derivabat. Sic et *Palmarius libro* 2. *de lue cap.* 9. ſæpe ad multos annos materiam purulentam proſtatas fundere, nullo valetudinis diſcrimine, nulloque penis ulcere animadvertit. *Whartonus* tamen *adenograph. cap.* 13. Bartholino non concedit, proſtatas eſſe Gonorrhœæ ſedem, ſed teſtes etiam affici, quod tamen non derogat, quo minus proſtatas ſubjectum principale denominemus. Quod et ratio probat á *Regnero de Graaf Tract. de viror. organ. pag.* 119. allata. Si vero malum ulterius ſerpendo increſcat, veſiculæ ſeminales, ſeminis in teſtibus elaborati, receptioni & aſſervationi dicatæ etiam afficiuntur. Quin et teſtes tandem corripiuntur, quos etiam infici, exinde luculenter ſatis probatur, quod frequenter ex repentina & intempeſtiva Gonorrhœæ ſuppreſſione, á potenter adſtringentibus facta, ipſi teſticuli in ingentem magnitudinem excreſcunt, quod, neutiquam contingere poſſet, niſi ex parte ſedes Gonorrhœæ forent, ſicut hoc argumento, ex Whartono l. c. mutuo petito, ad probationem utitur allegatus modo Graaf l. c. p. 122.

Sunt autem proſtatæ, qui cum paraſtatis interdum à nonnullis, quanquam perperam, confunduntur, id, quod aliâs corpus glandoſum appellatur. Quod nihil aliud

aliud eſt, quam corpus quoddam ſpongioſum, variisque glandulis infarctum nucis juglandis minoris magnitudine quod ſæpe ſeminali liquore turget & diſtenditur, qui exinde per ductus in urethram ſe terminantes exonera-tur, juxta veſicularum ſeminalium orificium iſtud duplex, quod ad radicem penis, & veſicæ cervicem ſitum caput gallinaginis non nihil externa ſpecie exhibet.

Veſiculæ enim ſeminales ceu vaſa ſemen aſſervantia, ſitæ ſunt inter veſicæ urinariæ cervicis initium, & inteſtini recti muſculos, in utroque latere una, à natura ad eum uſum deſtinatæ, ut ſemen in ſuam cavitatem recipiant, & receptum ſervent.

Teſtes autem ita dicti, eo quod de virilitate teſtentur, nihil aliud ſunt, quam quædam congeries minutiſſimorum vaſculorum, quæ ſemen elaborant & ſuſcipiunt intertextis tamen exiguis glandulis, ſicut id *Maurit. Hoffmannus in diſſert. anatom. ad Hornii microcoſ.* erudite probat.

Urethra etiam afficitur materiæ virulentæ tranſitum præbens, item glans, quæ ſæpe eroditur, unde ulcera & verrucæ emergunt, frenulum quoque & præputium ſæpe inſigniter intumeſcit, nec non corpora nervoſa, quibus affectis ejus diſtorſio accidere ſolet.

In fœminis diximus, quod vagina uteri præcipue, inde etiam ipſa uteri ſubſtantia afficiantur: Per totum enim vaginæ ductum interius plurimi reperiuntur poruli, præcipuè in inferiore ejus parte circa meatus urinarii exitum, ex quibus ductibus liquor naturaliter emanat, qui ad humectandas illas partes, à natura comparatus eſt. Sic & ab interna uteri ſuperficie, perinde ac ex ejus vaginæ rugis tubulatis, ros quidem nitroſus exſtillat, qui junctis particulis in humorem tandem ſe colligit, quem in actu Venereo mulieres profundunt. Quem quidem

 liquo-

liquorem, ſive quis ſemen appellitet, ſive aquoſum aliquem liquorem, nobis perindè erit. Si itaque à fermento Venereo naturalis hic liquor contagium accipit, ſua acrimonia eum corrumpit & inficit, ita ut auctis deinde gradibus majorem acquirat acrimoniam, unde fluores verſicolores &c. & doloroſi, partes interiores exulcerantur, & virus Venereum texturam ſolidarum partium corripiens, in tabum liquidum reſolvit.

Dum autem hic circa ſubjectum verſamur, non abs re quæritur, qualisnam ſit illa materia, quæ ex locis his profluit? dicimus autem, eſſe partim ſemen, idque à virulentia Venerea corruptum, & infectum, partim etiam ſaniem, ex partibus illis exulceratis & eroſis exſtillantem, partim etiam alios quoscunque humores vitioſos, qui per factam hanc viam à natura expelluntur. Quod poſtremum potiſſimum in Gonorrhoea diuturna, & quæ jam altius radices egit, contingere videtur. Nam materiam effluentem non eſſe ſemper ſemen, probat I. Materiæ effluentis copia, quæ ſæpius tanta eſt, ut naturalem ſeminis quantitatem longe excedat. II. Ejusdem materiæ qualitas; nec enim odorem nec colorem ſeminis retinet, ſed odorem habet gravem, colorem vero varium, modo pus & ſaniem refert, modo ichoroſa & corrupta materia effluit à ſemine toto cœlo diverſa III. Fluxus diuturnitas, cum quidam per plures annos hunc fluxum ſine virium lapſu, vel corporis conſumptione ſuſtineant: veri enim ſeminis fluxum tam diuturnum ſine facultatis tum vitalis, tum animalis proſtratione contingere poſſe, vix videtur.

Cauſa.

Cauſa.

PArte affecta & natura materiæ effluentis indagata, ulterius jam ad cauſæ inveſtigationem properamus, cum tum rem nos ſcire credamus, quando cauſas rei cognoſcimus. Sub cauſæ vero morbificæ nomine comprehendimus omne illud, quod quocunque modo aliquid ad morbi conſtitutionem conferre, morbumque excitare poteſt, ſeu quod morbo aliquam ſuæ generationis partem confert.

Cauſam igitur immediatam & proximam agnoſcimus eandem, quam agnoſcit lues Venerea, ſiquidem ipſa lues Gonorrhoeæ, niſi cito & tuto curetur, genuina ſoboles eſt, quippe quæ non raro à Gonorrhoea virulenta initium habet. Dicimus itaque quod cauſa ſit venenum Venereum, malignum & contagioſum, per impurum concubitum cum infecta hauſtum. Ideoque hic morbus non niſi per contactum alteri communicatur, nec aliam, quam contagium, agnoſcit cauſam: proinde, neque ab interna humorum alteratione neque ab eorundem, quæcunque tandem ſit, corruptione oritur, ſed virus hoc ſerpendo contagionis labe ab uno in alterum transfunditur. Cæterum affectus hic, utut contagioſus ſit, non eſt tamen primo de genere Peſtilentium, quippe qui plures non corripit ſimul, aut interficit: nec ſecundo de genere Epidemiorum, quia ejus ratio & cauſa non conſiſtit in aëre, cibo ac potu, & reliquis, quæ ad communes cauſas referri ſolent, ſed tantum hæret in contactu ejus corporis, quod ſimili lue affectum eſt, hincque communicato veneno.

Malignitatem primo itaque hic agnoſcimus, quod ipſa affectus ratio & ſymptomatum ſupervenientium gravitas ſatis ſuperque teſtantur; nec enim hujus eſſentia ex manifeſtis qualitatibus ſufficienter deduci poteſt: nempe utrum acrimonia ſalina, & cauſtica, cum humorum viſciditate & lentore conjuncta, quas tamen cauſas nequaquam rejicimus, ſed potius ex parte admittimus, rem totam expediat, merito dubitamus.

Infectionis verò ratio tali ferè modo contingere videtur, dum nimirum in actu Venereo partes incaleſcunt, unde earum pori dilatantur, hinc pars ſana particulas acres Venereas vaporis ſpecie in porulos ſuos recipit, quin & in cavum urethræ ſe inſinuant, & usque ad glandulas proſtatas penetrant; actione illa abſoluta, quæ non niſi pœnitentiam poſt ſe trahere poteſt, pori iterum concidunt, unde partes viroſæ fermentativæ cum humoribus ſanis permiſtæ, hos inquinant, corrumpunt, inquinati acriores redduntur, vim erodentem & interdum cauſticam ferè acquirunt, & in virulentiam degenerant. Sin vero malum ulterius ſerpat, & arteriarum & venarum orificia ſubeundo maſſæ ſanguineæ communicetur, ipſam luem Veneream inducit.

Sic etiam vir fœminæ virus hoc modo communicare poteſt, quando à lue hac infecto virus portio emanans rugis colli uterini adhæret, unde membranæ & partibus ſeſe inſinuando ulcera excitat. Inde patet, quod non niſi per contactum immediatum, & admotione unius partis ad alterum malum oriatur, ita, ut vix per ullum alium contactum, quam per coitum, virus hoc propagetur.

Cum itaque contagium hujus mali ſit cauſa, requiſita, quæ ad contagium propagandum neceſſaria ſunt, conſideranda videntur. Requiritur itaque I. Corpus hac lue jam infectum, quod alteri ſano ſimilem affectum

ctum inducere valet. II. Miaſma venenatum & Venereum, quod ex corpore ægrotante exhalat, quodque ceu ſemineum, & tanquam morboſa excretio, medium eſt, ſeu inſtrumentum, mediante quo virus ex uno ſubjecto in alterum, idque præcipue ſub vaporis, tum etiam humoris ſubtilis ſpecie transfunditur. Quod, etiamſi interdum ſit in minima quantitate, imo ſub visum non cadat, virtute tamen ſatis efficaciter ſe exerit, dum ejusmodi facultate præditum eſt, ut ſimilem in ſano alio ſubjecto morbum inducere valeat. Hocque miaſma cum ſubtilitate inſigni, & inde ſubſequente facili penetratione conjunctum eſt, ita tamen, ut de lentore quodam nihilominus participet, ut corpori inficiendo aliquandiu adhærere poſſit; niſi enim viſciditatis cujusdam particeps eſſet, etiam in diſtans inficeret, cum tamen ſolum per contactum immediatum agat. III. Requiritur corpus aptum & diſpoſitum ad luem recipiendam, non enim quilibet æque facile afficiuntur, ſed quidem pro certa corporis diſpoſitione citius & facilius, alii vero tardius & difficilius. Hinc ſæpe plures cum una rem habere poſſunt, quorum unus graviter afficitur, alter levem tantùm aliquam noxam ſentit, tertius vero inde ne minimam quidem labem concipit; quod tum ex majore, vel minore facultate agentis, & paſſuri corporis diſpoſitione provevenire ſolet. Unde etiam *Galenus Lib.* 1. *de different: febrium cap.* 2. *oportet*, inquit, *ſemper memoria tenere, quod nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poſſit, alioquin omnes, qui ſub æſtivo ſole commorantur, &c. febricitarent, ægrotarent etiam circa canis exortum omnes, ac peſtis tempore morerentnr.* Sic promptius & facilius labem hanc in ſe ſuſcipiunt illi, quorum temperamentum eſt calidius, habitus corporis rarior, mollior & laxior, unde facilius poros ſubire poteſt, Juvenes, item ſenibus huic malo magis

obno-

obnoxii ſunt ; qua de re conferatur *Zacutus Luſitanus prax. hiſt. Lib.* 8. *cap.* 1. Juvenes enim magis incaleſcunt, libidine magis tentantur, & majori ardore in Venereos amplexus ruunt, unde copioſiore influxu ſpirituum, & calore ampliore viæ fiunt patentiores ad venenum recipiendum. Contra ſenes ſunt frigidiores, difficilius incaleſcunt, hinc poris magis collapſis, tardius contagium ſuſcipiunt. Illi item, quibus partes ſunt laxiores & calidiores, hi omnes morboſas illas excretiones ſeu exhalationes prompte recipere, nec ita ſufficienter malo reſiſtere poſſunt, imprimis, ſi corpus ſit cacochymicum. Unde ad faciliorem mali receptionem tria cauſarum genera concurrunt, nempe virtutis debilitas, cutis laxitas, & copia pravorum ſuccorum: morboſus enim apparatus habilitatem præſtat ad ſuſcipiendum contagium. Nec enim omne miaſma Venereum, alteri communicatum, eum ſtatim inficit, niſi idoneum ſubjectum, in quod agat, offendat: IV. Et ultimum requiſitum eſt ipſe contactus, in hoc malo non mediatus, ſed immediatus, idque ferè ſemper, ut jam diximus, per coitum fieri ſolet.

Neque tamen ſtatim poſt impurum congreſſum ſe infectos ſentiunt, ſed cum materia lentoris alicujus & viſciditatis ſit particeps, demum elapſis aliquot diebus imò interdum ſeptimanis malum hoc infeſtum ſe exerit.

An fœminæ huic veneno recipiendo magis idoneæ ſint, non immeritò hic quæritur, cum alii difficilius eas infici credant, eò, quod viæ ad effluxum ſint magis pronæ, & ſtatis temporib⁹ expurgentur. Attamen, cum uterus omnis impuritatis receptaculum ſit, fieri omnino poteſt, ut fœminæ promptè quoque contagium ſuſcipiant, qua de cauſa ſemel hac lue infectæ, gravius ægrotant, & difficilius curantur, præterea ſanguis ordinarie per has partes excernendus adveniens à vitioſa qualitate, utero impreſſa,

mox

mox corrumpitur, unde interdum in deterrima vitia deinceps incidunt.

Quæritur hic, annon alio, quam per contagium, modo Gonorrhœa virulenta contrahatur? ad quod breviter reſpondemus, aliam cauſam non dari: ſiquidem hactenus experientia, optima rerum magiſtra, demonſtravit, hunc affectum non, niſi mediante contagio, exortum, cum reliquæ Gonorrhœæ ab aliis, iisque internis cauſis produci poſſunt; virulenta vero non item.

Sed & inde aliud dubium emergit, cur hic affectus ſi ab una cauſa procedit, tam diverſam tamen ſymptomatum catervam poſt ſe trahat, cum alios hoc, alios vero alio afficiat modo? cauſam eſſe, reſpondemus, diverſitatem materiæ virulentæ ad majorem, vel minorem malignitatis gradum evectæ, unde major vel minor efficacia emergit; tum etiam diverſitatem ſubjecti recicipientis, prout temperies variat, vel varii in corpore humano humores prædominium obtinent, vel etiam pars una magis debilis eſt, ac altera, pro fomite morboſo recipiendo.

Reliquæ cauſæ tum ex rebus naturalibus, tum nonnaturalibus, tum præternaturalibus petitæ, cum ſolitarie plane non ad hunc morbum ex interna cauſa producendum ſine accedente contagio ſufficiant, ſed etiam ſaniſſimi, & ſine ullo harum cauſarum apparatu inficiantur, atque tantum pro faciliori veneni Venerei receptione, & contumaciore inhæſione, & difficiliore expulſione inſerviant, non videntur hic recenſendæ.

Differentiæ.

JAm quoque differentias hujus mali in medium proferemus, & I. quidem *ratione graduum*, alia eſt *levis*,

quando

quando liquamen virulentum cum urinæ ardore junctum profluit, nulla tamen ſingularis malignitas, vel alia ſymptomata gravia cum facili tolerantia ſunt adjuncta. Alia vero eſt *gravior*, quando materia effluens eſt virideſcens, ad cœruleum colorem vergens, varii coloris, acris & corroſiva cum aliis ſymptomatibus adjunctis, v. g. cum adſunt bubones Venerei, ulcera cancroſa, teſtium tumores doloroſi, inflammatio, dolor, &c. unde pro diverſitate adjunctorum ſymptomatum ipſa Gonorrhoea magis, vel minus gravis eſſe ſolet. Alia demum eſt *graviſſima*, quando malum non ſubſiſtit in his partibus, ſed, maſſa ſanguinea hac putrilagine polluta, & in diſtantiſſimas partes ſerpente veneno, totum corpus graviter inficit, unde ulcera cacoëthica in toto corpore erumpunt, cutis velut fœda ſcabie deturpatur, oſſa carie inficiuntur, veneno meningibus impacto, dolores capitis emergunt graves, imò, ſi ad artus deturbetur, dolores artuum atroces, noctu imprimis infeſti, oriuntur. Unde conſtat, ultimam hanc ſpeciem eſſe deterrimam & periculoſiſſimam, mediam periculoſam, mitiſſimam vero primam.

II. Ratione temporis alia eſt recens, & nuperrime demum contracta, alia verò inveterata, quæ altas jam ob temporis diuturnitatem radices egit, quæque diu jam inhabitatum domicilium ægerrimè relinquit.

III. Ratione ſubjecti; alia virorum, alia mulierum eſſe ſolet.

IV. Ratione adjunctorum; alia eſt ſimplex, alia vero cum aliis affectibus complicata.

Signa.

PErſpecta cauſa, & differentiis ad Signa nos accingimus, & quomodo hic affectus, tum cognoſcatur, tum ab aliis affinibus diſtinguatur, indigitamus; quamvis ſignis ferè opus non ſit, dum affectus oculis intuentis ſatis patet.

In primo itaque principio, re illa peracta, quæ primam morbo originem dare ſolet, ſentiunt levem quandam tenſionem, ut & urinæ ardorem, inde effluere incipit ſemen primum tenuius, quod pedetentim acrius redditur; Hinc virus album, vel citrinum noctu & interdiu continuo ſere rivulo manat, acrimonia colem intus exulcerat, unde ſubſequitur dolor acerbus, primario circa glandem, nonnunquam etiam radicem, interdum & inflammatio adeſt, & inflatio; urina nunquam ſine acerbo dolore, & quidem ſæpius, eaque guttatim emittitur; ipſum membrum, ſi quando erigitur, veluti fune ſubſtringi videtur, liquamen effluens paulatim degenerat in liquorem citrinum, inde virideſcentem; accedit quandoque tumor præputii, ut glans difficillime, vel plane non tegi, vel denudari poſſit; inde in glandis, & hujus conjunctione ex retentis ſordibus, ulcuſcula enaſcuntur maligna, inde verrucæ & excreſcentiæ; urethra ulterius exulcerata, & excoriata, ſæpe interius caruncula enaſcitur, urinæ tranſitum prohibitura, vel ex aggeſtis ſordibus, veluti callus verrucæ ſimilis emergit; interius ſæpe accedunt bubones, teſticulorum dolores, inflammationes & tumores; tandem gravis capitis, & artuum dolor ſupervenit, qui noctu exacerbatur.

Diſtinguitur vero à reliquis Gonorrhœæ ſpeciebus & quidem à pollutione nocturna. I. Cauſa; quia in

hac eſt orgaſmus ſeminis cum imaginatione rei Venereæ, in Gonorrhœa virulenta eſt miaſma Venereum. II. Effluendi modo; in pollutione fit membro tenſo, & cum voluptatis ſenſu; hic vero ſemen corruptum cum doloris ſenſu flaccidis partibus continuo exſtillat. III. Adjunctis ſymptomatibus; quæ facile unam Gonorrhœæ ſpeciem ab altera diſtinguunt.

Altera Gonorrhœæ ſpecies etiam facile à virulenta diſtinguitur, quod in his ſemen aquoſum præter voluntatem ſine tentigine cum emaciatione totius corporis effluat; differt verò à virulenta, quod non præceſſerit impurus coitus, ſed tantùm partium laxitas, quod vitii eos præcipuè adoriri ſolet, qui impuberem ætatem Venereis libidinibus corruperunt. Neque etiam contagioſum ſemen aut virulentum eſt, nec alia ex recenſitis adjunctis ſunt præſentia.

Quomodo vero in fœminis accidens Gonorrhœa virulenta à fluore uterino ſit diſtinguenda, etiam conſiderandum erit. Conveniunt quidem ambo affectus in hoc, quod humor ex pudendis indeſinenter deſtillet, differunt tamen in eo, quod cum Gonorrhœa virulenta plerumque conjuncta ſit exulceratio internæ partis ab acri virulento excremento exorta. Raro enim deprehenditur citra pudendi ulcus: Accedit quod uteri fluor tempore purgationis muliebris ceſſare ſoleat; Gonorrhœa virulenta non idem; hæc enim aliquando poſt tempore non ceſſat.

Quin etiam videndum an luis Venereæ aliqua ſe ſigna prodant, ſeu an uterini fluoris, ſeu primarii, ſeu illius, qui vitio aliorum viſcerum fit, indicia aliqua cernantur. Quin & ipſa materia effluens differt; in Gonorrhæa enim virulenta exſtillans humor, modo albus eſt, modo flavus, ad viridem, aut cœruleum colorem

vergens, odore gravi moleſtus, acris, exedens, ſecus ac in uterino fluore contingere ſolet.

Nunc ad ſigna Prognoſtica nos conferemus, & quidem I. *Ratione Salutis & mortis* dicimus, quod etiamſi ſit affectus gravis, per ſe tamen non eſt lethalis, niſi aliud quid per epigeneſin ſuperveniat; non immerito tamen hic afferenda videntur verba Foreſti, Gonorrhœam, inquientis, non tantum damnum individuo, ſed & omni ſpeciei humani generis afferre; nam ſi omnes homines paterentur Gonorrhœam, cito genus humanum periret, cum materia, ex qua generatur embryo, fluat, & derperdatur. Dicimus tamen, quod magno cum ſanitatis detrimento malum hoc accidat; ſi enim nimius ſeminis fluxus, plus quam natura toleret, magis obeſt, quam ſi quadragies tantumdem ſanguinis emanarit, ut Avicenna tradit, quid cenſendum erit de eo profluvio, in quo non tantum ſemen, ſed inſuper virulentum, & partes lædens, totique maſſæ ſanguineæ labem inferens, fœdo effluvio excernitur; an non inde neceſſario virium lapſus, corporis conſumptio, facultatis vitalis & animalis debilitas conſequetur? unde & abſumpta nobilore parte ſeminis graciles fiunt circa lumbos, impotentes & tardi in motu, queruntur de laſſitudine, capitis dolore, & imbecillitate, viſus & oculorum fulgor perit, fiunt tremuli, quin et, ſi diutius malum duret, ad tabem dorſalem vergunt. Imo &, ſi diuturno fluxu partes debilitatæ fuerint, contingit, ut qua parte pugiles ſe olim præſtitere, inermes fiant, & qua parre olim peccarunt, ea imprimis pœnas luant.

II. Ratione *longitudinis & brevitatis*, longus enim eſt plerumque ut gravis affectus, quique ſæpe non deſiderata brevitate extirpari poteſt; &, niſi primis principiis obviam

viam eatur, idque exquiſitis medicamentis, accuratâque inſtituta victus ratione fiat, ſæpe numero per aliquot annos durat, & quamvis Gonorrhœa virulenta proprie ita dicta ceſſet, nihilominus tamen ſemper liquamen quoddam ſeroſum & ichoroſum ad minimum partis affectæ contactum, matutinis præcipuè horis exſtillat. Natura enim huic fluxui adſueta, quicquid vitioſorum humorum in corpore latet, inde tanquam per aſſuetum quoddam emiſſarium evacuat, adeoque, uſque, & uſque nova ſuppeditatur materia, quo morboſa hæc affectio diuitus protrahatur; imò partes ſemel eroſæ, cum non adeò facile medicamenta ad illas pertingere poſſint, non ita celerem, ut multi optant, curationem recipiunt, ſed ipſa materia, in nutrimentum partium alias abitura, corrumpitur, & ſub ſpecie inutilis colliquamenti emanat. Ad affectus longitudinem multum quoque facit, quod multi hac lue infecti ab initio malum ſuum celare, quantum poſſibile, ſtudeant, & undecunque medicamentis quibuscunque ſæpe etiam noxiis, ſemetipſos curare ſatagant, vel ſub alterius morbi ſpecie Medico revelent, vel plane nullam medicam implorent opem, uſque dum tandem progreſſu temporis, aucto nimis malo, celare amplius non poſſint. Accedit, quod plurimi nullam victus rationem obſervantes, ſed Cereri, Baccho & Veneri litantes affectum ſemel receptum ſic diutiſſime foveant.

III. Ratione *eventus* terminatur ad ſalutem, eliminato è corpore veneno maligno, partibus affectis absterſis, roboratis, & conſolidatis, idque quandoque naturæ robore; licet rarius hoc contingat; ſæpius vero medicamentis, quibus naturæ deficienti ſuccurritur. In pejus verò ruit, ſi degenerat in luem Veneream, unde poſt miſeram, diu & tædioſe protractam vitam, atrocium

ſympto-

ſymptomatum caterva ſtipatam, tandem mors ſequitur; quin & multi in malum corporis habitum, ſeu Cachexiam incidunt, imò & lentus maraſmus ægrum Libitinæ conſecrare poteſt. Si enim apud Hippocratem Satyrus, qui poſtquam per quinquennium Gonorrhœa moleſtatus eſſet, tabe tandem mortuus eſt, quis Gonorrhœam cum virulentia junctam ſimile quid producere poſſe, neget?

Curatio.

ACcingimus nos jam ad ipſam curationem, ut, quanam ratione infeſtum hoc malum in corpus admiſſum, ejici aptis remediis, & auxiliis poſſit, inveſtigemus.

Cum vero medicamenta, & manus DEi ſint, ſi recte uſurpentur, & ſint quoque, ſicut gladius in manu furioſi, ſi ſiniſtrè utentem offendant, omnino ex ſanæ methodi medendi regulis modus curandi erit deſumendus, ſi ex lege artis hunc affectum tollere velimus.

Ad tria itaque oculum debemus attendere; ad ipſum morbum, qui ſui curationem; cauſam, quæ ſui ablationem; & ſymptomata, quæ ſui correctionem poſtulant; tum denique vires ſui conſervationem requirunt: quæ quidem per indicationem curatoriam, præſervatoriam, & vitalem obtinemus. Curatoria itaque cum ſymptoma ſit in excretis, requirit cohibitionem, quod abſtergentibus, inde adſtringentibus, conſolidantibus, & roborantibus præſtamus; inſimul non neglectis iis, quæ nimium ſeminis proventum cohibent, ejusque orgaſmum refrænant.

Præſervatoria cum ad cauſam attendat, eaque in virulentia maligna conſiſtat, illi ſpecificis alexipharmacis

cis contrariis obviam eundum, & quantocyus è corpore eliminandum.

Vitalis viribus opem fert, & confortantibus, præcipuè vero ordinata diæta iisdem conſulit.

Materia verò præſidiorum cum ex triplici fonte Chirurgico nempe, Pharmaceutico, & Diætetico hauriatur, in ſingulis quoque videndum, quid unusquisque ad affectus hujus ablationem conferre queat.

Antequam vero hoc faciamus, non inconcinne hic quæritur, an affectus hic præcaveri poſſit? Multi quidem multas cautiones, & auxilia excogitarunt, ut poſt concubitum à veneno Venereo immunes evadant. Sed ſi dicendum quod res eſt, difficile, imo impoſſibile videtur hoc poſſe obtineri. In congreſſu enim Venereo excitato calore humoribus & ſpiritibus ebullientibus, & meatibus patentioribus redditis, vix fieri poſſe videtur, ut tale inveniatur remedium, quod contagioſum hoc virus infringat & reprimat, ne partibus communicetur. Sanius videtur, ſi talibus ejuſmodi quid deſiderantibus hoc conſilium ſuppeditemus.

Abſtine, & efficies, quod Medicina nequit.

Quin & huc referendum Iohannis Zeccæ Empirici Bononienſis Conſilium, qui in Boccalini Parnaſſo unicam & certiſſimam a lue Venerea ſe tuendi rationem eſſe, imaginem hominis à morbo iſto mutilati, ſicut id refert Ioh. Nicol. Pechlinus *Lib.* 1. *Obſerv.* 72. *p.* 200.

Videamus ergo primò fontem Pharmaceuticum, ubi circa medicamentorum adhibitionem notandum venit, cum ob affectam partem remotiorem, ut eo melius in partium affectarum penetralia irrumpere virtus eorum queat, nec ob viarum prolixitatem & mæandros in prima, quod ajunt, ſuffocentur herba, & ita incaſſum adhibeatur medicamentum, quod in forma liquida,

quida, tum & largiori quantitate ſit adhibendum, quin & ob eandem rationem continuatus aliquandiu, & non interruptus medicamentorum uſus apprime ſit neceſſarius; quamvis & ea, quæ in ſolida exhibentur forma, diuturna mora vim exerant ſuam, quin & mediantibus idoneis vehiculis & appropriatis ad partes amandentur, nec propterea laude ſua ſint defraudanda.

Purgantia, quæ tanquam remedia univerſalia cæterorum uſui præmittenda primum hic conſideranda ſunt, quæ tum imprimis, ſi corpus ſit cacochymicum & vitioſis humoribus refertum, conveniunt, adjunctis ſimul iis, quæ ſerum & lympham corruptam corrigunt. *Thomas Sydenham in luis Vener. hiſtoria & curation. p.* 74. de remediis catharticis dicit, quod omnis curationis cardo in iis vertatur, huncque morbum à quolibet demum cathartico ſæpe, diu exhibito, ſanatum iri, maxime tamen ea convenire, quæ ichorem ſeroſum fortiter è ſanguine expurgant, & ſubducunt, & ſola Jalappii radice pauperibus ſe aliquoties ſubveniſſe, teſtatur. Adjungendam tamen eſſe ſimul diætam refrigerantem, cum medicamenta, quibus malum expugnandum, calida ſint. Itaque præſcribit Pilulas purgantes, ſingulis auroris deglutiendas, ita ut æger ſuperdormiat, per 12. vel 14. vel etiam plures dies, donec urinæ ardor & materiæ effluxus ceſſat, poſt alternis diebus aſſumendas ſuadet per duas ſeptimanas, demum bis in ſeptimana, usque dum humor ex urethra ſtillare ſolitus prorſus evaneſcat, quod ut plurimum non niſi poſt multos dies contingere dicit. Simili modo *Muys. prax. Chirurg. ration. decad.* 4. *obſerv.* 10. *p.* 218. ſe Gonorrhœam virulentam curaſſe refert, ſingulis diebus exhibito bolo ex Therebinth. Venet. ℥iij. & pulv. Rhabarb ʒj.

Si itaque purgantia velimus in uſum trahere, præſtò ſunt: e. g. Caſſia fiſtularis, quæ humorum acrimoniam demulcet, renumque calori contemperando prodeſt. Tamarindi, qui & refrigerant, & adſtringendo roborant, à Fallopio in Gonorrhœa biliosa valde commendati. Rhabarbarum, colluviei biliosæ expurgandæ dicatum, & partes roborantes & adſtrictorias conjunctas poſſidens. Jalappa, quibusdam in hoc caſu valdè commendata, & inde parata remedia. Colocynthis, & inde parati trochiſci Alhandali, magnis encomiis quibusdam celebrati. Denique Mercurius dulcis, tanquam ſpecificum, & viſciditati, ac lentori ſeri excutiendo aptum remedium admodum commendatur. Uti & Extractum Panchymag. Crollii, Extract. Hellebori nigri, Confect. Hamech, aliaque ſimilia, pro diverſo Medici ſcopo in diverſis formulis exhiberi poſſunt.

Sudorifera, quæ ſerum peccans, & ſimul malignum virus per habitum corporis expellunt, hic quoque non intermittenda: Sic Lignum ſanctum, ejusque cortex, Lignum Saſſafras, Radix Chinæ, ſarſaparillæ, & inde parata decocta, egregiè pro purificanda maſſa ſanguinea hic operam ſuam præſtant. Qua ratione autem ejusmodi decocta parentur, cum brevitati ſtudeamus, hic non recenſebimus. Item, alia Sudorifera ex Antimonio & Mercurio præparata non inconcinne interius dantur, qualia ſunt v. g. Antimonium Diaphoreticum, Bezoard. Mineral. Cinnabar. Antimonii, &c.

Diuretica quoque blanda, vì ſimul *Balſamica* prædita, parteſque affectas vi ſua *ſalina* & *abſterſiva* mundificantia, in uſum vocanda. Inter quæ primo loco tanquam nobiliſſimum medicamentum meritò commendatur Bals. de Copaiba, vulgo Indic. Alb. ver. à *Gul. Piſon. Hiſt. Nat. & Medic. Indic. utriusque Lib.* 4.

cap.

caput. 4. *deſcriptus.* Cui ſubſtituitur affinis in vulgus nota Therebinthina, quæ ambo integris fere & infractis viribus ad veſicam deveniunt, quod etiam violaceus urinæ odor, ex eorum aſſumptione emergens ſatis teſtatur; in materia enim morbifica expellenda vi ſua inſigni diuretica, & laxativa balſamica, item & abſterſiva multum efficere poſſunt. Uſurpantur autem vel per ſe, vel ſub forma boli, emulſionis, Pilularum, admixtis aliis: ſic & inde parata Tinct. Bals. Indic. alb. ver. Spiritus item Therebinthinæ, Balſamus Sulphuris Therebinthinatus pro conditione affectus, & affecti commodè adhibentur. Proſtat etiam aqua contra Gonorrhœam Quercetani, quæ ex Therebinthina, additis aliis paratur, inſignis efficaciæ, quam à ſe vel centies expertam eſſe, tradit Author. Succinum, & inde parata medicamenta, ut in omni ſeri ichoreſcentia & fluore ſunt probatiſſima, ita & hic laudem ſuam retinent: quod tum in pulvere, tum in eſſentia exhibetur; hinc eſſentia ſuccini cum tinctura Balſami Indici albi veri permixta inſigni effectu plurimis jam innotuit. Sic & Salina quibusdam hic commendantur, & *Schenckius allegante G. W. Wedelio Amœn. mater. medic. p.* 491. affirmat. à Gonorrhœa virulenta ſe multos curâſſe uſu caulium fabarum in cineres redactarum, qui deinceps in aqua fluviali per diem & noctem macerentur, inde per inclinationem aqua coletur, & ſic per aliquot dies propinetur. Item lixivium fabarum etjam Lazarus Riverius commendat. Et *Isbrandus Dimerbrœck Obſerv.* 4. Sal prunellæ laudat, eoque Gonorrhœam virulentam curatam, corpore prius expurgato, ſingulis matutinis & veſperi exhibendo ℈ijß. ejusdem cum hauſtu vini rubri, undè profluente copioſiore urina ægrum ſanatum refert. Alii ſali polychreſto eximias vires adſcribunt in expellendo veneno hoc, ſi ejus ʒij. cum

 ptiſana,

ptiſana diſſolvantur, & ſedata inflammatione binis vel ternis vicibus dentur, idque *Nicol. de Blegny Zodiac. Medic. Gallic.* ſuadet. Alii hiſce non contenti ad cantharidum uſum confugiunt, ejusque infuſum cum vino Rhenano paratum propinant, modum parandi perſpicue docet *Thomas Bartholinus centur. 5. hiſt.* 82. & juxta præſcriptum ab eo modum uſurpant. Imo cantharidum infuſo ſe quendam multis fruſtra uſurpatis perfecte curaſſe, refert, *Hannæus C. N. C. Decur.* 2. *anno.* 5. *obſervat.* 172. Hujus enim uſu beneficio copioſæ urinæ malum tolli tradunt. Sed cum internus cantharidum uſus multis jam noxius exſtiterit, ſicut id vel ſexcentis exemplis demonſtrari poſſet, niſi jam omnibus notum eſſet, ideò non niſi cautiſſimè, & circumſpecta Medici prudentis adhibitione uſurpandum eſt hoc infuſum, cum æque facile inde noxam & levamen ægri reportare poſſint. Etſi in uſum trahitur, vix ſine oleo amygdal. dulc. vel Syr. de Althæa Fernelii, vel aliis anodynis vim cauſticam temperantibus, diluentibus & mucilaginoſis admiſtis, tuto exhiberi poteſt.

Aquea demulcentia & humorum acrimoniam temperantia quoque non intermittenda, imprimis ſi dolor & urinæ ardor urgeant, quem in finem commodiſſimè emulſiones parantur, ex amygdal. dulc. ſem. 4. frigid. majorib. ſem. cannab. papav. alb. cum Aq. lact. portul. cichor. endiv. Nymph. menth. chærefol. ononid. aliisque diureticis &c. Quin & potiones inde addito ſyr. de Althæa Fernelii fieri poſſunt. Extract. liquirit. ejusque decoctum, mucilago ſem. Cydonior, Gum. tragacanth. Arab. &c. pro demulcendi ſcopo exhiberi quoque poſſunt.

Adſtringentia etiam adhiberi poſſunt, ſed corpore prius repurgato, uti id ulterius in fonte Chirurgico declaraturi ſumus, ſicut & ſiccantia, & fluxum cohibentia iisdem

cau-

cautelis indigent. Si vero uſus illorum indicetur, ſint talia e. g. Torment. biſtort. eorumque extracta, nymph. ſymphytum, bolus armen. alumen, terra ſigillat. os ſepiæ, ſaccharum ſaturn. terra Catech. ſperniol. Crollii, corallia rubr. lap. Hæmatit. crocus Martis obſtructivus, quem ad ℥j. aſſumptum inſigniter commendat *Nicol. Cheſneau in ſuis obſervationibus.*

Ea quoque quæ ſeminis orgaſmum reprimunt, nimiumque ejus proventum minuunt, aliis admixtis, non intermittenda ſunt. e. g. ſemen Viticis, ſeu Agni caſti, de quo refert Wedelius l. c. quod ſtudioſus Gonorrhœa virulenta laborans pilulas cum ſucceſſu deglutiverit; indagatione vero facta deprehenſum, pilulas fuiſſe naturales, ipſum nempe ſemen viticis, quod rotundum pilularum figuram exhibet: ſic & hic uſurpari poteſt Eſſent. Caſtitat. Michaelis, à Wedelio l. c. deſcripta. Saccharum Saturni, quod quibusdam in tantum contra Veneream libidinem deprædicatur, ut & ſterilitatem nonnulli exinde metuant. Camphora non ultimum locum hic obtinet, quæ hic utilis eſt, & quatenus diſſipat, & conſiſtentiæ ὀργασμώδει contraria: tantam enim vim obtinere, ut etiam ad aliquod tempus ad rem Veneream ineptos reddat, tribus exemplis probat *Isbrand. Diemerb. Obſervat.* 32. Scilicet, ut vulgatiſſimus verſiculus habet:

Camphora per nares caſtrat odore mares.

Nitrum & hic conducit, quatenus abſtergit, & quatenus Veneris ardorem reprimit. In quantum enim Veneris igniculos extinguat nitrum, cum aqua Nymph. quotidie exhibitum, eleganti Hiſtoria docet *Balthaſ. Timaus in ſuis caſibus lib.* 3. *caſ.* 52.

Quod Balſamica attinet, eorum jam ex parte ſuperius mentio facta eſt, poſſunt autem iſtis ibi recenſitis addi Myrrha, Maſtiche, Thus, &c. ſic pulvere thuris ma-

ſculi ad ʒj. ex ovo ſorbili dato Aſſelinæum plures Gonorrhœas percuraſſe refert *G. H. Welsch Mictom. Centur.* 2. 50.

Ex prolectis jam medicamentis facile variæ pro intentione prudentis Medici concinnari poſſunt formulæ, ideoque non neceſſarium eſſe ducimus, plures huc corradere. Et, ut de ſymptomatum adjunctorum ſublatione aliquid dicamus, breviter generales tantum indicanes trademus, cum alias in nimis magnam molem noſtra diſputatio excreſceret. Urinæ ardor aquoſis blandis, temperantibus, acrimoniam humorum obtundentibus, mucilaginoſis & oleaginoſis tollitur.

Inflammationi, quæ interdum maxime urget, blande diſcutientibus, emollientibus, ſimul & dolori adjuncto anodynis & demulcentibus ſuccurritur.

Præputii & teſticulorum inflatio & tumor, qui interdum ſupervenit, per diſſipantia carminativa, attenuantia interna, item ſudorifera tollitur; ſin tumor diſcuti non poſſit, emollientibus res tentanda, inde ſuppuratione facta, pars abſtergenda, mundificanda, demum conſolidanda, & ad cicatricem perducenda.

Ulcera partis affectæ requirunt, ut inflammationi reſiſtatur, putredini obviam eatur, & ne gangræna accedat, præcaveatur, ſordes extergantur, abſterſoque inde pure Balſamicis & ſiccantibus conſolidentur.

Verrucæ & excreſcentiæ Eſcharoticis & cauſticis extirpandæ ſunt, quæ & interdum ferrum & ignem ad ſui ſublationem requirunt.

Caruncula penis, quæ tædioſe interdum magnaque cum moleſtia & labore extirpatur, per ea, quæ carnem luxuriantem abſumunt, debito modo, & adhibita cautela abſumenda. Bubones Venerei in inguine apparentes, ſi internis diſſipantibus, & ſudoriferis expelli & diſcuti

non

non poſſint, citiſſime ad ſuppurationem perducendi, indeque aperti ſolito more ut alia ulcera tractandi.

Si malum maſſam ſanguineam jam penitus occuparit, cura ſudorifera, & quæ alias in lue Venerea ſuſcipi ſolet, ad manus ſumenda erit.

Relicto fonte Pharmaceutico ad Chirurgicum nos conferemus. Occurrit autem primo *venæſectio*, quæ tanquam univerſale præſidium, ſi indicetur, merito particularibus præmittitur. Hæc tamen per ſe huic morbo non convenire videtur, quin potius noxia eſt, nec venenum Venereum evacuat, ſed potius in luem Veneream præcipitat, veneno ſurſum in corpus & partes nobiliores attracto, adeoque potius ab illa abſtinendum, niſi forte ingens plethora, vel etiam inflammatio remedium hoc requirere videantur, ſed caute & ſubjunctis aliis medicamentis, quæ venenum vel per ſudorem, vel per alvum eliminent.

Magis conducunt *injectiones* in urethram per ſiphonem, tum ut ulcus abſtergatur, acrimonia contemperetur, balſamicis & conſolidantibus partes eroſæ conſolidentur, & adſtringentibus demum roborentur. Hæque injectiones eò magis conducere videntur, quod immediatè ad locum læſum perveniant, cum medicamenta per os aſſumpta non, niſi per longas ambages ad partem affectam pertingere poſſint. Unde & *Stephanus Blancardus in ſuo tractatu, qui* die belägerte und entſetzte *Venus inſcribitur c.* 4. *p.* 63. injectiones per ſiphonem, tanquam maximè appropriatas, & optimas commendat, eò, quod etiam ſelectiſſima & maxime efficacia medicamenta per os aſſumpta, longe non tantum præſtent, ac injectiones. Notandum autem, non, niſi aliis præmiſſis, adſtringentes injectiones eſſe uſurpandas; cum enim materia exiens ſit ſanies ex ulceribus emanans, ejus effluxus

nullo

modo impediri debet, ſicut in alia Gonorrhœa ratio curandi id exigit, ſed potius detergentibus, mundificantibus & ſiccantibus inſiſtendum, ſi enim materiam per Gonorrhœam effluentem præpoſtere ſiſtere quis voluerit adſtringentibus, quod non tantum de externis, ſed etiam de internis intelligendum, nihil aliud efficiet, quam quod malum penitius partes internas ſubeat, ac proinde gravius malum priori emergat, vel ſaltim iterum erumpat ſtatim, ac uſus ejusmodi remediorum intermiſſus ſit. Ex ſuppreſſa enim hac materia interdum oritur tumor teſticulorum inſignis & dolorificus, curationi quandoque magis, quam cætera accidentia obſiſtens. Sic etiam à ſuppreſſa Gonorrhœa virulenta humor reſtagnans adſtringentis medicamenti vi coërcitus, tumorem durum ſub umbilico excitavit & amplum, ita, ut totam ventris regionem occuparet, qui in abſceſſum abiit, ſex menſium ſpatio emanante tetra illuvie, ægrum fatigans: Referente *Zacut. Luſitan. prax. admirand. lib.* 2. *obſervat.* 118. *Sic idem Zacutus lib. cit. lib.* 1. *obſerv.* 97. profert exemplum cujusdam, qui Gonorrhœa diuturna laborans partes gelidiſſimæ aquæ immerſerat, unde reſtricto humore, nervis recurrentibus irritatis, ex ſpaſmo in aphoniam incidit, qui excitato in inguinibus fonticulo emanante ſanie, vocem recuperavit. Fiat autem injectio tepida, & aliquandiu contineatur. Ulcere ſatis deterſo & mundato, quod inde cognoſcetur, ſi materia albidior minori copia ſine ſenſu doloris & ardoris effluat, tum demum cohibendo effluvio incumbendum.

Si itaque inflammatio urgeat, injectio fiat ex lacte tepido, mirifici hoc in caſu uſus, cui alia anodyna mitigantia, & reſolventia, crocus item, & camphora addi poſſunt. Pro ſcopo vero detergendi parari poſſunt ex

decocto

decocto Abſinth. Veron. Agrim. plantag. centaurii, chamomill. &c. in cujus decocto diſſolvi poſſunt Syrup. Roſat. vel de Abſinth. vel etiam Mel Roſar. imò à nonnullis commendatur, quamvis an ſine noxa adhiberi queat, meritò dubitetur, Aqua Calcis vivæ. His & ſimilibus pro ulceris & corporis conſtitutione Aloë, Myrrha, Ariſtol. rot. &c. admiſceri poſſunt. Exſiccantia ultimo demum in uſum trahenda, quales injectiones parantur. v. g. ex aquis aluminoſis, aut ex foliis plantag. aut floribus roſar. rubr. aliisque adſtringentibus paratis decoctis, in quibus troch. alb. Rhas. Bolus armen. Terra ſigillat. Ceruſſ. &c. diſſolvi poſſunt.

Claudimus jam noſtram Diſputationem conſideratione fontis Diætetici, qui maximum momentum in huius mali curatione conferre ſolet; niſi enim accurata victus ratio hic obſervetur, etiam exquiſitiſſima medicamenta vix aliquid conferre poterunt, unde accuratum regimen rerum ſex non naturalium requiritur.

Aër itaque ſit purus, temperatus, ſiccus ad caliditatem inclinans, contra nocet impurus, humidus, & frigidus. Cum enim æſtate aëre calidiore tranſpiratio inſenſibilis, & inde excernendorum exhalatio facilius procedat, longe facilius hoc malum tollitur, quam hyeme, ubi pori gelu conſtricti noxiorum exhalationi non ita patere poſſunt.

Cibi & Potus conſideratio hîc maxime neceſſaria, edendo enim, & bibendo, & homo ægrotat & ſanatur. Victus itaque ſit tenuis, refrigerans, & contemperans, cibi ſint boni & laudabilis nutrimenti, parum ſucci excrementitii generantes, non duræ digeſtionis, nec quantitate excedant. Vitentur omnia flatulenta, duræ & difficilis concoctionis ſalita nimis, acria, calida, aromatibus & pipere nimis conſperſa, legumina, fructus horæi, qui excrementitias humiditates progenerant, carnes ſalitæ, fumoq́ induratæ, acetum omniaque acida exulent, ex aquaticis piſces ſaliti vitentur, Halec exulet à menſa, Caſeus vetuſtus damnetur.

Contra vero conveniunt panis bonæ notæ probè fermentatus, carnes & eorum juſcula, carnes Bovinæ, Vitulinæ, Gallinarum, Caponum, Pultes, Oryza cum lacte cocta, Amygdalæ dulces, Cubebæ, Paſſulæ &c. Potus quantitate non excedat, ſed ſit temperatus; evidenter enim malum exaſperari ſolet, ſi Baccho

 nimis

nimis litarunt, vinum parcâ præbeatur manu, nec niſi oligophorum concedatur; vitetur generoſum nimis, omniaq́ potus genera, quæ facile inebriare, ſanguinemq́ accendere poſſunt. Cereviſia defæcata, antiqua, bonæ notæ non culpanda. Commodè decocta pro potu ordinario fieri poſſunt, ſi parentur ex lignis addita Glyzyrhyz. ſem. Anis. Cinam. &c. aliisq́ pro re nata & ægroti palato additis; Multi quoque infuſum herbæ Thée, vel potum Caffée hic commendant. Circa ſomnum & vigilias nihil aliud monendum habemus, quam ut utraque mediocritatis limites non excedant.

Circa motum & quietem obſervandum eſt, quietem multum ad ſanationem conferre, ſicut eadem omnibus ulceribus curandis conducit; hinc ſi quis motus ægro concedendus eſt, ſit omnino moderatus. Quamvis enim calor nativus inde excitetur, & corpus magis perſpirabile reddatur, unde per tranſpirationem facilius miaſma exhalare poſſit; tamen quia motus qualiscunque imprimis femorum, partem affectam facile exagitat, caloremque auget, nulla ferè iſtorum commodorum, quæ à calore nativo exſuſcitato profluere dicuntur, hîc ratio haberi poteſt. Id quod præcipuè equitatio, utut motus vehementior ſit, declarat, quippe qua nihil ferè magis noxium in hoc affectu eſt. Unde potius quies, licet nimia totum corpus torpidum reddat, indeque humiditates excrementitias cumulare, & ſic longiori mali protractioni anſam præbere dici poſſit, motui præferri meritò videtur. Excreta debito reddantur tempore, alvus ſit lubrica, ne juſto diutius adſtricta ob vicinitatem genitalia afficiat, laxantibus & humectantibus ſui officii admoneatur. Venus, quæ tantopere nocuit, intermittatur, ne tum undicunque humores in partem affectam rapiantur, tum viroſum hoc malum in aliam perſonam transfundatur. Ideoque inter animi pathemata amor & cupido Venerea proſcribantur, hæc enim humores commovet, ad partes affectas rapit, malum exaſperat, dolorem & inflammationem auget, & majorem laxitatem partium efficit. Vitetur quoque ira, quæ bilem & humores omnes turbulentè commovendo nocet; timor, triſtitia, animique mœror, quantum poſſibile, in exilium proſcribantur.

Hæc ea ſunt, quæ ingenii, & virium mediocritas in chartas conjicere, conceſſit; quæ ſi quem ob materiæ fœditatem præter ſpem offenſura ſint, is rogatur, ut ſibi revocet in memoriam:

MUNDIS OMNIA ESSE MUNDA.

jndex Disputationum in hoc volumine contentarum

De sudore — De gangrenâ et sphacelo — De vomicâ — De palpitatione cordis — De febribus intermittentibus — De vomitu — De motu musculorum — De fermentatione. — De vermibus intestinorum — De febribus — De venæ sectione — De paralysi — De tienosis — De variis humani corporis partibus. De hæmorroidibus — de risu et fletu — De caninâ appetentiâ — De deliquio animi. visus vitiatus — fœtus biceps — de visu — de potu chocolatæ — de jecore. — de singultu — De generatione De Gonorrhæa virulentâ.

Curâ J. Poulin Med. Monspeliensis 1790